Halicii Simonis: Quaestio de causis discernentibus scripturam canonicam ab apocrypha.

+

QVÆSTIO
DE
CAVSIS DISCERNENTIBUS Scripturam Canonicam ab Apocrypha.

A

M. SIMONE HALICIO, S. THEOL. B. obiit 1623. 13 Junij.
ad Disputandũ in Alma Acad. Crac. proposita.
XI. Iulij. Hora 11.

PRÆSIDENTE

Adm. R. D. MARTINO CAMPIO VADOVIO S. Th. Doct. & Profess. Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Floriani PRÆPOSITO.

Permissu Magnifici D. Rectoris.

CRACOVIÆ,
In Offic. Typ. Matthiæ Andreouiensis,
Anno Domini, 1622.



CRux animum firmat, conſtringit faſcia corpus
Cornua diducens vir ſuper aſtra vocat.
BARTHOLOMÆE tuum NOWODWORSKI robur in armis,
Quam proſit Regno Stemmata clara docent.
Namque ferit cornu, Crux ſeruat, faſcia ſtringit,
Hoſtes Te, Doctos, dum fera bella moues.

GENEROSISSIMO DOMINO,

D. BARTHOLOMÆO NOWODWORSKI,

Sacræ Domus Hospitalis S. Ioannis Baptistæ Hyerosolimitani, Equiti Melitensi, Stipatorum S. R. M. Præfecto, Singulari Acad. Crac. Patrono, & Benefactori æternùm colendo:

M. SIMON HALICIVS. Humil. obs.

Cursor in area Theologorum primi stadii metam & simul Te inclyte Heros aspicio. Spectator meæ à carceribus inferioru͂ disciplinarum egressionis tu primarius fuisti, cùm repentè nostris initiis, iucundissima præsentiæ tuæ lux oboriretur: Tibi meritò eiusdem curriculi debetur scopus & consu͂matio. Volebam ego quidem meæ conscius imbecillitatis silentio venerari augustam virtutem tuã, sed quî possum si nullus est Acad. nostræ locus, in quo fixa vel erecta non sint monumenta immortalitatis tuæ. Quod si par animo fortuna accessisset, facile coniicimus qualem tu cuperes habere Scholam Crac. An id leue argumentum est liberalis voluntatis iure apud omnem posteritatem celebrandæ? homo maiorum quidem imagini-

bus & bellica gloria illustris, sed exigui cum literis cõmercii, non honorum in Repub. luce, non fortunarum copia splendidus, multi temporis, multi sudoris & sanguinis collectum stipendium in bonarum artium propagatione hilariori vultu effundit, quam post meritos labores accepit. Aiunt Scipionem Romanum postulantibus quondam in re difficili opem suis militibus, magno animo respondisse: Non bellatorem sed Imperatorem me mater genuit. Sed istam ego arrogantem voco grauitatem. Tu verè magnanimus es, tu apud me multis Scipionibus maior es, quem cum non fortuna, non inconstantis multitudinis fauor, sed propria virtus & rectè de ea sentientium iudicium & bellatorem, & bellatorum insignium ducem fecit, literarum Academicarum tacitus opem tuam implorantium non spreuisti humilitatem. Eant nunc qui proprium & inueteratum in literatos odium attribuunt militibus: ecce honoratior miles, fortissimus Melitensium Eques NOWODWORSCIUS *in amãdis & exornandis literarũ alumnis cum quouis contendit literatissimo. Et cum alii humaniorum amœnitate capiantur, alios oblectet seuerior Philosophia, alii supra humanam intelligentiam rapiuntur cogitationũ diuinarum studiis, vnus omnes pari beneuolontia complectitur optimus* NOWODWORSCIUS. *Itaque nec ego in vitium venire potero si cum Theologorum sublimitate ad te meum Patronum diuerto: valde enim idoneus*

neus videris defensor propositæ à me quæstioni. Bellum denuncio Hæreticæ impietati, tu idcum generosissimo sanguine progenitorum tuorum adhuc infans suxisti, educatione pia ac sancta auxisti, cum professione Melitensis Militiæ gerendum necessario suscepisti. Vocem Pastoris Christi propriam & verum ego in sola Romana Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis colloco: tuus feruor in eandem Ecclesiam tantus est, vt millies ex hoc mortali corpore quàm semel ex ouili Christi deturbari eligas. Petrum Christi Vicarium in Romano Episcopo venerandum asseuero. tu eundem Petri locum, terram sanctam, locum principis Apostolorum, locum illius quem constituit Christus Dominum Domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ reuerenter habes, prudenter agnoscis. Cum tuo igitur secundum Deum Patrocinio prodeo in campum, hostem euoco: potentem fateor, sed quia potentior est is, pro cuius sponsæ honore omnis hæc à nobis suscipitur concertatio, vana est aduersus eum omnis alia potentia. Inuocatus verò solet adesse præsentissimus, quia in suis promissis fidelissimus. Appone tu quoque auitam pietatem tuam, constantissimum fidei Catholicæ feruorem innocentiam & integritatem, & multa alia gratiarum cœlestium dona quibus abundas: ne per insolentem oris impurissimi audaciam, vel ipse Christus vel sancta illius Ecclesia blasphemetur. Sic tutus ab insidiis inimicorum tuorum non solum bre-

 uem

uem hanc & momentaneam vitam, ſed nullis terminis circumſcriptam iucundus, lætus, glorioſus viues. Collyrium quod initio Quadrageſimæ in cõuentu Acad. feceram: Theologicis addo propoſitionibus, tuoq́; ſimul nomine inſignio. Poſt inundationes, bella, famem, vexationes miſelli populi, grauiora perſentimus impendere mala, niſi placamus indignationem Domini vera pænitentia. In ea temporũ conditione parænesim Quadrageſimæ & vſui publico, & deſiderio tuo, qui à nobis aliquã oratiunculam efflagitas aptiſſimam eſſe iudico. Vale repletus bonis deſideriorũ tuorum in benedictione Domini.

QVAESTIO.

V. Externa vox Eccleſiæ reuelatâ veritate diuturno concordiq́; SS. Patrum ab ipſis Apoſtolis proximè & continuè ſuccedentium ſenſu firmata, ad diſcernendam ab Apocrypha, Canonicã ſcripturam ſufficiat: an præterea Conciliorum ſummiq́; Pontificis expreſſa determinatio aut aliquod infallibile Diuinæ veritatis teſtimonium ad id plenius cõfirmandum requiratur nec ne?

Conclu-

Conclusio Prima:

Externa vox Ecclesiæ Christi, veritati reuelatæ & diuturno continuoq; ab Apostolis Patrum consensui innixa, est propria interpres Spiritus sancti.

Consectaria.

1. *Neminem quantumuis sibi sapientẽ posse diuinorum mysteriorum intelligentiam consequi, nisi Deus sensum eius atq; intellectum aperuerit.*

2. *In sola Ecclesia Rom. cui nunc vt legittimus Christi vicarius ac Petri successor præsidet Rom: Pont: Gregorius XV. propria & cõtinua est mansio Spiritus sancti.*

3. *Huic vni per scripturas aliaque media de rebus ad fidem & mores pertinẽtibus rectè obeditur, vt Magistræ veritatis & virtutis infallibili.*

4. *Falsò docere sectarios dari paßim cuiuis immediatè à Deo reuelatæ veritatis intelligẽtiã.*

5. *Externa vox Ecclesiæ, est publica vox Rom: Pont. & Conciliorum autoritate illius congregatorum, decernentium, confirmatorum.*

Conclu-

Conclusio II.

Canonica scriptura est quæ Spiritu S. inspirãte & dictante, siue mediatè, siue immediatè conscripta ab hominibus in ipsorum hominum salutem dirigitur. Apocrypha autem est partus vel inconsultæ credulitatis, vel ambitiosæ auaræque cupiditatis in quæstum & ostentationem directa.

Consectaria.

1. *Quicquid constiterit esse Canonicum, infallibilis certitudinis robur habet.*

2. *Proprius scripturæ sensus, verborum compositio, & modi loquendi eiusdem sunt cum scriptura autoritatis.*

3. *Canonica scriptura quia propter homines est, etiam ex iis constat, quæ ab experientia & humana ratione pendent.*

4. *Scriptura Catholici & eruditi viri, si nec fidei veritati, nec morum pietati aduersatur, idem pondus habet quod aliquorũ vel plurium SS. Patrum scripta.*

5. Quæ continent bonis moribus & fidei veritati contraria, & si Apostolorum aut aliorum celebris sanctitatis & eruditionis virorum nominibus insignita circumferantur, vt adulterina seu supposititia reijcienda sunt.

Conclusio III.

Quæ sit Canonica scriptura quæ non, vox Ecclesiæ certissimè discernere atque definire potest.

Consectaria.

1. Vox attestantis Ecclesiæ errare in suis definitionibus ad salutem fidelium directis nō potest

2. Attestatio Ecclesiæ pluris est æstimanda, quam scriptura ipsis etiam Apostolorum manibus exarata.

3. Vox Ecclesiæ Catholicæ prout est publicum ac infallibile veritatis testimonium, omnes ad assentiendum firmitate fidei obligat.

4. Quæ diuturniori tempore patitur Ecclesia inter Canonica numerari, pro Canonicis vel propè Canonicis habenda sunt ante publicam definitionem.

5. Vox Ecclesiæ potest & eadem, & alia atq; alia de eadem re proferri, siue eodem siue diuerso tempore, non solum quoad spiritum, sed & quoad literam.

Conclusio IV.

Quoniam Pont: Rom. & Conciliorum ab eo congregatorum atque approbatorum infallibilis est autoritas ex ordinatione diuina: illius est vel Conciliorum ab eo cõgregatorum expressè determinare, quæ sit Canonica scriptura, quæ Apocrypha.

Consectaria.

1. Pontifex Rom: habet priuilegium Petro collatum, & in fide non deficiendi, & sine errore gubernandi Ecclesiam.

2. Pontifex Rom: qua præses est supremus Ecclesiæ, nec in rebus fidei, nec in præscribenda morum regula errare potest, in publico ac definitiuo suo iudicio.

3. Concilia siue generalia, siue particularia Rom: Pontificis autoritate definita, vox sunt in-

fallibiliter decernentis Ecclesiæ.

4. *Eiusdem est impietatis & Deo reuelanti, & Ecclesiæ attestanti non credere.*

5, *Certissima nota est hæreseos, libros veteris & Noui testamenti à Pontifice Romano, & Conciliis autoritate eius congregatis & approbatis definitos non recipere.*

Conclusio V.

Expressam Pontificis Romani & Conciliorum declarationem plenius cõfirmant alia concurrentia testimonia, siue illa fuerint diuinæ veritatis infallibilis, siue insignis probabilitatis.

Consectaria.

1. *Miracula si forte concurrant maiorem faciunt euidentiam, non quidem rei, sed credibilitatis: quia & ipsa miracula an sint verè miracula, Ecclesia determinat.*

2. *Miraculis, conordi Doctorum sensu, traditionibus longo vsu firmatis, plenius confirmantur docti saltim extensiue quoad modorum vari-*

etatem,

etatem, indocti etiam quoad certitudinem fidei intensiuè.

3. *Doctorum & pastorum Ecclesiæ vel omnium vel plurimorum, vel præstantissimorum, conueniens in vnum sententia de aliquo scripto vel Canonico, vel Apocrypho facit maiorem certitudinem moralem & extensiue & intensiue, fidei solùm extensiuè.*

4. *Citatio libri Canonici & rerum in eo contentarum in aliquo alio libro Canonico, qui nunquam controuersus suspectusué fuit, facta: maiorem facit certitudinem fidei extensiue.*

5. *Efficacia doctrinæ in cordibus hominum, superans artem & naturam, addit aliquid extrinsecus autoritati diuinæ vocis infallibili.*

Bernard. ſuper Cant. Serm. 30.

Hyppocrates & ſequaces eius docent animas ſaluas facere in hoc mundo: Christus & eius diſcipuli perdere. Quemnam vos è duobus Magiſtris eligitis? At manifeſtum ſe facit, qui ſic diſputat, hoc oculis, hoc capiti, illud pectori vel ſtomacho nocet. Profectò vnuſquisque quod à ſuo Magiſtro didicit, hoc in medium profert.

COLLYRIVM ſeu ORATIO

DE POENITENTIA

Poſt initium Quadrageſimæ in ſupplicationibus Academicis ad S. ANNÆ eodem Anno

HABITA.

ALtitudo diuitiarum bonitatis, & miſericordiæ Dei, proponitur hoc ſacratiſsimo tempore in medio Ecclesię, noſtro ex peccatis dolori & erubeſcentiæ. Accurrimus vndiq; lęſæ maieſtatis conſcii cum gentili Chananæa, vt vnicā quiſque ſuam filiam, animam ſcilicet pretioſiſſimā à grauiſſima ac periculoſiſſima liberet Dæmonij vexatione. Prope exitium eſt in vnius tyranni ra biemincidere: quodſi duo immanitatis portenta in noſtram coiuerint perditionem, ne latum vnguem abſumus à morte probroſiſſima. Circumuenti ſumus à peccato, proditi à carne, Stygio Phalaridi: quæ nobis reliqua ſpes ſi in manu potenti, ſi in brachio excelſo, & inmiſe-

ratio-

rationibus multis Domini nostri à crudelissima tyrãnorum seruitute in pristinam non vindicamur libertatem. Ponite in oculis mentium vestrarum miseræ istius filiæ matrem miserrimam quæ hodie acrioribus dolorum stimulis exagitata, importune astat, instat, circumstat, obsecrat, implorat misericordiam filii Dauid. Spectaculum est horrendum & peracerbum videre subinde oculorum trãsuersionem, manus distortas, capillum solutum, oris deformitatem, recentem in horas ex nouo vulnere sanguinem, quid multis? viuum ac monstrosum cadauer. Stupet præ dolore ferè iam exanimis mater, nec alium inuenit leuationi suæ modum, nisi vt vehementius ad Dominum cum tribularetur clamitaret. Miserere mei fili Dauid. Is est peccati fructus, ea est fœderati illius socij tractatio vexare, torquere, vastare, probris, doloribus, funeribus sempiternis nostrum genus. Et peccatum & Diabolus ab initio fuêre homicidæ. Nos quidem olim ex hac tenebrarum potestate liberati, genus electum, regale sacerdotium, populus acqui-

acquiſitionis, filij Dei dicebamur, ſed heu ſeu infirmitatem ſeu ſtultitiam noſtram, poſt guſtum doni cæleſtis, poſt participationem Spiritus S. in veteres tenebras recidimus. Abijmus à benigniſſimo patre in longinquam regionem ſublata precioſiſſimâ iuſtificationis ſubſtantiâ, quique ad diuitem menſam ſedentes croceis nutriebamur, ad porcorum ſiliquas, nos noſtrâ deiecimus prodigalitate. Quid iam ceruicibus noſtris impendet niſi cõſummatio in combuſtionem. Obuerberat noſtras aures illa terribilis cõminatio: Melius erat viam iuſtitiæ non agnouiſſe, quam poſt agnitionem retrouertiſſe. Retrouertimus nos cũ Chananeide, oculis à Deo ad creaturas tranſuerſis, faſtidio rerum ſpiritualium quaſi ſpumanti ore vultum Chriſtiani hominis fœdauimus, manus in vltionem, cupiditatem iniuſtitiam diſtorſimus, integritatem cõſcientiæ nouis interdum caſibus vulnerauimus. Et pudet nos clamare cum matre noſtra Eccleſia pro nobis ipſis ad filium Dauid? Clamemus nec deſinamus donec exaudiat Dominus. Au-

 diet

dicet ille benignissimus, & loquetur nobis verbum consolationis, cognoscamus modo miseriam nostram, & ex præscripto Domini inungamus ægritudinē oculorum collyrio. Agnitæ & confessæ miseriæ, parata est semper misericordia. Quænam inquies ista miseria? Lumen oculorum nostrorum non est nobiscum spiritualiter cernendi facultatem peccatis nostris obscurauimus aut forte extinximus. timor & tremor venerunt super nos, ingemiscimus contecti peccatorū tenebris. Hoc ego malum duce Deo breuiter inprimis demonstro, mox ad tollendam eius grauitatem collyriū ex apotheca diuina facio. Erit nobis credo salutare, si prostrati in conspectu Domini, culpas nostras deprecati fuerimus per solennem istius temporis Antiphonam. Emendemus. &c.

EST quod nobis sapientia veterum siue in vmbris, siue in Rerumpublicarū luce propagata inuideat: vtraq; enim inani oblectationis titillatione decepta, vix quid verè pulchrum

ac iu-

ac iucundum ſit à longe potuit aſpicere. Vtiq; rerum naturalium inſpectores dicerem aliquo modo ſupra hæc quæ videntur aſcendiſſe, politicorum induſtriæ omnis periit labor & contentio. Illi enim à ſpecie creaturarum in pulchritudinem creatoris licet imbecillo naturæ lumine ferrentur, venerandum tamen docuerunt: horum gloriæ ſummus apex fuit in vmbris & lineamentis pulchritudinis quaſi ipſiſſima pulchritudine conquieſcere. Non repeto veterum ciuilium in conſectandis vanitatibus, in quærendis mendaciis perditam operam & diligentiam: non enim & noſtra pſeudopoliticorum turba diſſimiles habet cogitationes & ſtudia. Flexit ſe fortè ad hominem externum & eius fabricam elegantiſſimam: hic conſtitit, hic ſtupet, huc omnem confert iucunditatem & deſiderium. Quanta cæcitas animi, qui ſtupor ingeniorum, non in futurum decus non ad immortalitatem proſpicere: ſed quid ventri, quid oſtētationi, quid cupiditati, quid auræ populari ſeruiat? Nec in Sophorum grandi. Noſce teipſum,

psum, magna est Philosophia: simul enim ac se ad intuendum hominis augustioris faciem cum insipiente sua sapientia verterunt, subito vt vespertiliones à luce veritatis inaccessabili perculsi in tenebras dispersi sunt. Nobis hæc diuinæ gratiæ lux seruabatur, qui in admirabile Christianæ dignitatis lumen non ex operibus nostris, sed ex misericordia singulari liberatoris nostri vocati sumus. Ille cùm esset vnigenitus Patris, descendens in terram in similitudinē carnis peccati, enarrauit nobis altissima suarum inuentionum mysteria, & cum libertate à peccatis beneficiorum præstantissimorum in nos effudit vbertatem. Eo doctore super omnes senes intelligere, super omnes prioris sæculi docentes sapere incæpimus, quia lucernam pedibus nostris dedit verbum suum. Narrabat & doctior antiquitas de interiori homine multas fabulationes sed non erat testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis; iactabat Synagoga legis diuinæ cognitionem, sed non conuertebat animas, non sanabat detectas infirmitates. A

Contra Philosophos.

Christo

Christo primum didicimus, quantum distet vetus Adam à nouo, terrenus homo à cælesti, corpus iustitiæ à corpore peccati, quando ex veris participib⁹ diuinitatis ex primitiis Spiritus Sancti audiebatur verbum illud bonum: Viuo ego iam non ego, sed viuit in me Christus. Vtinam verò felix hoc verbum nunquam ex ore nostro dimisissemus, sed vt est ingenium hominum ecce in repentinā ex insolēti triumpho recidim⁹ miseriam. Vt enim quod erat officii nostri de die in diem renouare interiorem hominem neglexìmus, à Sathana circumuenti, & ab eius instrumento carne nostra fascinati, rediimus in veterem, cæcum, pauperē, nudum, miserabilem. Hoc verò grauius malum quod cæcitatem inter iucunda, miseriam inter diuitias numeremus. Sed fallimur turpissimè, nam non degeneres in acumine iudicij à progenitoribus nostris, hæredes quoq; calamitatum ab ipsis relictarū efficimur. Iudicāt illi ex vno curiosiori aspectu delectabile lignum, inq; illud maiori feruntur impetu, ideo optata excidunt scientia, malorū

 autem

autem cumulis vnde ſperabant voluptatem ex operiũtur. Sic & nos quoties vertimus cum noſtra curioſitate ad fruendũ ijs quæ ſenſui pulchra atq; iucunda videntur, tum maximè ſtupemus, vulneramur, deficimus, obſcuramur. Aiunt Medici periculoſiſſimam eſſe oculorum ægritudinem, ſi potentia viſiua in ſe retenta neq; foras exeat, neq; cum lumine externas imagines recipiat, propter indurationem aut oppilationem humorum vel tunicarum: deſperatur & ſpiritualis oculi facultas, ſi nihil prorſus lucis à cælo prouenientis recipit, neq; ſe mouet ad ſpeculandum, vel recipiendum proprias imagines lucro, ventoſitate, voluptate incraſſata. Tales olim tenebras circumferebant illi cætus idololatrarum, quos iuſſu Dei Ezechiel per foramina ſpectabat in tẽplo Salamonis, Solem, Venerẽ, beſtias adorantes quaſi id nõ videret Dominus. Vidit, & profundiſſimam foueam cæcitati eorum præparauit. Scio cuiq; ſuum idolum eſſe quod impenſius amat, ſcio difficile reperiri hominem, qui totus ſit ex Deo, cum Deo, in Deum, ſine

um, ſine affectu ad creaturam: non tamen audeo cogitare aliquem in Chriſtianis ita miſerabilem reperiri, cui nec vnus cum Polyphemo ſit in fronte oculus. Inflãmatio, turbatio, ſuffuſio, tuberculi, maculæ, debilitates quem noſtrum non exagitant? qui cum igne deuorante æſtuantis concupiſcentiæ habitamus, quorum ſunt intus pugnæ, foris timores. Factum quid benè, ſubito noxius humor vaniſſimæ laudis affluit: erratum eſt, ſuffundimur. Multi ſtrabonum inſtar cælum & terram ſpectamus, plures maioribus ludimur imaginibus, quam res ipſæ ſunt, quod non terſis vtamur ſpecillis ad videndũ, vel maculatam circũferamus pupillam. Non promittimus lumen corpori, ſi oculũs exulcerat oculum, ſi pupilla eſt in periculo, ſi facultas cernendi proſtrata, ſi medium, ſi proportio inter obiectum & potentiam ſublata eſt. Et ſpiritualis oculus ſuos habet humores, ſuaſq; tunicellas, quibus in videndo perficitur, cor purum conſcientiam bonam, charitatem nõ fictam. Lucidiſſimi ſunt iſti humores, qui manſuetudine, inte-

gritate,

gritate, miſericordia conteguntur, ſplendet inſtar pupillæ in rectam porrecta intentio lineam quæ nullis imaginum ſimulachris decipitur aut inflectitur à vero bono, medium eſt gratia, proportio meritum, obiectum ſalus, Oculus iſte corporis inſignem ſapientiam ſui artificis oſtentat, quod in loco excelſiore, quaſi in quadam ſpecula ad dirigendas cæterarum partium functiones reſideat: magni æſtimatur, & quia maximè neceſſarius, & quod ſemel amiſſi nulla eſt recuperatio. Excuſſerat quondam furor Adriani cuidam ſeruulo oculum vtq; deferbuit tyrãnus factum dolet, vult furorem ſuum vlciſci, quærit optionem talionis. Reſpondet exoculatus, oculum volo à capite auulſum, quaſi diceret, tanti damnum æſtimo, vt nihil in vicem reponas, niſi oculum repônas. Oculus renouatæ mentis noſtræ, opus eſt multo magnificentiùs, index enim eſt multo illuſtrioris ſapientiæ, quâ Deus perdidit ſapientiam ſapientum huius ſæculi. Oculus iſte noſter fide Chriſti aliiſq; gratiis illuſtratus, nõ ſolo verbo conſtitit, vt hic corporis, ſed multis

plagis

plagis vulneribus, contumeliis, crudelissima deniq; morte filij Dei. Cogitate quantum sit beneficium spiritualem hanc videndi aciem consequi, quis dolor, & quanta iactura eandem amittere. Nos verò rem tam preciosissimã par oculorum spiritualium, Iustitiam & veritatem per Iesum Christum nobis donatam, nihili ducimus, quasi gratia non gratia, sed debitũ quoddam esset; mortuam fidem, sepultum & obscurratum iudicium sæpe circumferimus, in tenebris quasi nunquam fuissemus filii lucis ambulamus. Est fateor difficille etiam religiosa corda (vt inquit S. Leo) mundano puluere non sordescere, sed vulneris periculum excitante nos & cooperante nobiscum auxilio diuino effugere non est difficille. Impegimus fortè grauiùs, medicinam celerrimè quæramus antequam consuetudo saniem colligat, ne fortè subitò præoccupati die mortis quæramus spacium pænitentiæ, & inuenire non possimus. Discamus ab ijs, qui serpentibus, viperis, cæterisq; bestiis cõuiuunt, primo statim tẽpore præsentissimis anti-

dotis repellere venena peccati. Si volumus in igneâ tela nequiſſimi armari, ſi oculũ inter tot peſtes & mõſtra obiectorũ à labe, à contagione, à vulnere integrũ ſeruare. Velle certe debemus, ſi ex vno intuitu oculorum mors & vita oriũtur. Aperiam ego ſecretum medicorum præſtantiſſimi. Fernelium credo cogitatis aut Saxoniam, aut Aquapendentem, vel ex veteribus Galenum Hypocratem, Auicenam, & ſimiles? neminem horum cogito qui profeſſi curationum ſcientiam ſeipſos curare non poſſunt. Illum dico qui proteſtatur ſe habere poteſtatem ponendi animam, & rurſus ſumendi eam: qui ex omnium noſtrum morte glorioſiſſimè triumphauit, qui crucifixus ex infirmitate, viuit ex virtute Dei: qui vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, quiq; ſolus docere poteſt homines ſcientiam. Is ille medicus eſt, qui in perſona Samaritani deſcendens, per hanc viam vitæ noſtræ, ſpoliatum, cæſum, à latronib⁹ miſerum hominẽ, oleo & vino miſericordię atq; iuſtitiæ ſuæ recreatum collegit & in hoſpitio militãtis Eccleſiæ ſecuriſſimè

Medici.

collo-

collocauit. Is inquã ſapientiſſimus clementiſſimus Dominus noſter Ieſus Chriſtus per Ioannẽ in Apocalypſi Epiſcopo cuidã depoſitæ,& deſperatæ ægritudinis ſuadet, vt ſi ſe diuitem, perſpicacem, ſi ornatum eſſe cupiat collyrio iniungat oculos ſuos. Horret quis acrimoniam & mordacitatẽ collyrij? nõ meminit is vulnus vulnere ſanari, parũq; valere ad ſanitatẽ in quo nihil fuerit amaritudinis. Non nego fore aliquid cu m noſtro collyrio moleſtiæ ſed precium, virtus & vſus ſuperior eſt omni moleſtiarũ difficultate. Non enim ex vſitatis pharmacorum pulueribus non ex tranſmarinis herbis, ſed ex metallis preciosiſſimis, ex ſupra mundanis hortis colligitur. Aurum puriſſimum, cryſtallus ſplendidiſſima, ſpiritus viuaciſſimus, non chymica arte aut experientia in vitrum raptus: ſe de ſurſum à Patre luminum donatus fragilitati noſtræ. Oculus terræ ſal politiſſimum in hanc quoq; veniunt vnctionem, & hæc omnia & ſingula ex alieno orbe. Satis precij habet ex ſe aurum, & quæ cõmemorauimus: multo tamen pluris cenſetur

 ea

ea quorum sunt symbola & notæ. Quid enim conferas cum diuinis virtutibus, quæ omnem valorē auri & topazijsuperant? Vnius charitatis pondus quantum est, cui celebrandæ nec hominum, nec Angelorum linguæ sufficiunt, quæq; non orbis terrarum amplissimis spaciis, non deniq; felicissimis beatorum sedibus coarctatur. Qualis enim & quantus Deus tāta & charitas est, quia Deus charitas est. Aurū est charitas inter alia virtutū metalla, & aurum ignitū, quia & cōtinuo ascensu suo in supera, nobilitatē: & superfluorum cōsumptione præstantē virtutem suā probat. Non potest pauper aut miserabilis esse qui hoc auro abundat. Quapropter ad collyriū hoc faciendū, inprimis suadetur ægerrimo Episcopo, vt emat sibi aurū ignitū, Crystallū dico timorē Domini, quem sicut buccellas crystalli accipimus è cælo demissum, vt æstu concupiscentiarū represso puritate niteamus. Faciem frigoris huius crystalli quæ ignis inordinati flamma sustinebit? est verò ob puritatem intentionis qua homo in Deum conuertitur,

valde

valde accommodatus timor Domini ad recipiendum lumen gratiæ. Qui timẽt Dominum, (inquit sapiens) præparabunt corda sua, & in conspectu eius sanctificabunt animas suas. Nõ est sine vitali spiritu hoc collyrium. Quis iste erit? quem nobis ipse fons vitæ luculentissimè commendauit, cum altiori voce clamitaret in maximis concionibus populorum? Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Multum habet de spiritu & de spiritu viuacissimo sancta humilitas: nam & in omnem partem mouetur facillime, & cuiusuis gratiæ suscipiẽdæ aptissima est: vtq; se probet esse spiritum qui à mortalibus non conspicitur, in maximam virtutum lucem excrescens, non vult à quoquã videri. Simul enim vt irrepsit aliqua in sublimem locum vanitas, perit omnis dignitas quam non fucatam sola habet humilitas. Accedit deniq; nostræ vnctioni sal coronantis omnia perseuerantiæ. Cum terræ grauitate plurimam habet cognationem firma in proposito permansio, vtq; sal siccitate sua condimentum affert ciborum, Simile.

 sic

ſic perſeuerantia decus eſt humanarum actio-
num: arcet ſal putredinem carnium, non pati-
tur ſancta perſeuerantia carnalium deſideriorũ
corruptionem. Habemus excellentiſſimas no-
ſtrorum ſimplicium qualitates, inſpiciamus o-
culorum ægritudinem eiuſq; cauſas propiores:
conferamus ſingularem vim & efficatiam alte-
rabilium: credite mihi ſi ars, vſus, diligentia, &
moderatio horum omnium acceſſerit nullum
fore tantum ſpiritualis oculi periculum, quod
non poſſit à nobis præcipi aut profligari. Quod
frigus ineptitudinis charitatis feruori reſiſtet?
quæ inflammatio aut lippitudo cum timore iu-
diciorũ Dei cohærebit? quæ humiditas terrena-
rum affectionum abſorbebit vitalem ſpiritum
profundiſſimæ charitatis? quæ deniq; tentatio-
num procellæ, concutere poterunt ſalem perſe-
uerantiæ in recõditiſſimis Dei cõſiliis atq; miſe-
ricordiis firmatũ? Atq; cum cæteræ medicanti-
um vires ſatis habeant morbum repellere, hæc
noſtra ſingula aliquid inſuper progenerant &
ſalutare, & ſingulare: qua ex vetuſtate in nouita-

tem,

tem cum quodam incremento transeamus. Nã ex auri calore nascitur generosissimi cordis dilatatio, spiritualis humor, iudicij de rebus omnibus affert claritatem: Spiritualis enim (inquit Apostolus) omnia iudicat. Crystallinum frigus ex profligato tumore inanis gloriæ gignit albedinẽ castitatis veluti lilium pulcherrimum. Salis siccitas purificat suffusiones, proportionem oculorum ad rem videndam restituit, & salutarem in penetrandis cælestibus tribuit agilitatem. Præclara inquies medicina, sed in temperie diuersarum qualitatum facilis & is periculosissimus error. Est quod metuas, nam & spiritualibus medicis regula & princeps parandarum virtutum est discretio. Sunt etiã hîc libræ, est & ponderum symmetria ab illo exẽplari petita: quod Christus pro peccatis nostris ex rigore iustitiæ Patri satisfaciens sustulit in ligno. Supra iacentem lineam surgens de medio in altum radius facit æquilibrium: iacentis lineæ extrema libras demittũt, radius supra eminens indicat põderis iustitiam. Honor & amor Dei faciunt nostrum æquilibriũ in cruce Christi

Effectus Salis.

sti

ſti. Iacens linea eſt amoris latitudo, quam nob is filius Dei in ligno exhibuit: ſurgens è medio in altum radius, honor eſt crucis quæ Deum homini vnitum ſuſtinuit. Veritas & iudicium ex hoc æquilibrio pendent receptoria ingredientium noſtri collyrij: in veritatis libram charitatis aurum depone, vt ex cordis puritate feraris in amorem tuum Deum, verum pondus tuum, quia quantū eum diligis, tantus es. Ad iudicij libram timorem & perſeuerantiam colloca, ſed perſeuerantiæ ſal duplo cryſtallum & ſpiritum ſuperet: eſt enim pōdus iuſtiſſimum ex quò cernitur & ipſius charitatis adæquatio. Iam ſic temperie ordinatâ diuina hæc ſimplicia effunde in menſam patientiæ, quam Deus parauit amicis in conſpectu ſuo aduerſus eorum tribulatores: tunde omnia ſimul piſtillo duriſſimæ mortificationis, idq; tantò tempore donec ſingula benè contrita, & emollita coeant in maiſſam iuſtitiæ. Dictum eſt enim. Niſi facta carnis mortificaueritis moriemini. Sed nondum liniendo apta erit medicina, niſi fuderis oleum de ſuper; non peccatoris quo non impinguatur ca

pu

put Domini, ſed lætitiæ & exultationis quod conuertit planctum in gaudium. Ferendum eſt animo æquiſſimo imo ſereniſſimo quicquid euenerit: quia ſic Dominus quoſcunq; recipit in filios, affligere ſolet. Vis præterea in oculos cæleſtem inducere colorem ad ornamentum, ſic formatum corpus iuſtitiæ conſperge lactis dulci candore, innocenti doctrinæ diuinæ puritate, & doctâ ex alto vitæ innocentià. Hęc enim permiſta admirabilem gratiam pariunt in oculo ſpirituali, fitq; vt ex oculi candore totum illuminetur corpus. Habes collyrium: inunge (vt inquit Chriſtus) oculos: habes modum redeundi ad gratiam ex ipſius Domini præſcripto, vtere, age pœnitentiam vt ipſe explicat per Prophetam ſuum æmulare chariſmata meliora currens iam poſt odorem vnguentorum dilecti tui. Crede mihi vnctio iſta præter ſanitatis beneficiũ maximè intellectum noſtrum illuminabit: vt gloriam Chriſti ſpeculantes à claritate in claritatem progrediamur tanquam transformati à Domini Spiritu. Non erit cur ex ſollicitiori mandatorum Dei obſeruatione timeamus ali-

quam in ſcientijs iacturam: ſcientia enim quæ propter virtutem (vt inquit Bonauen:) cõtemnitur, per virtutem aquiritur. Vngit te alius tu vngeris, proijcit ille oculos in te cognitionis, tu oculum ſubijce credulitatis. Non time nuditatem, non miſeriam, non cæcitatem, non ſimilia probra, non amplius dicetur tibi, Neſcis quia tu miſer es, & miſerabilis, & cæcus: at in omni verbo, in omni ſcientia, in omni gratia diues factus gloriaberis in eo, ex cuius vulneribus totum hoc noſtrum profluxit collyrium. qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & ſanctificatio & redemptio, & lumen in tenebris ad dirigendos pedes noſtros, in lucidiſſima via mandatorum ſuorum. Quoniam igitur aduenerunt nobis dies pœnitentiæ ad redimenda peccata. ad ſaluãdas animas, ad auertendam cæcitatẽ miſerabilẽ, ad cõſequẽdã lucẽ ex gratia Dei oriẽtẽ, humiliemur in cõſpectu Dei dicẽtes cũ Propheta Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad te, donec miſerearis noſtri. Fatemur nos eſſe catellos cum Cha-

nancide

naneide indignos menſa tua, quia nomen ſanctum tuum irritauimus ſceleribus noſtris:ſed tu Domine qui voluiſti propter nos eſſe filius Dauid, recordare bonitatis tuæ, & miſerere, quia multum repleti ſumus deſpectione. Mitte de alto precioſum hoc collyrium ſacræ pænitentiæ, applica ipſe digitis miſericordiſſimæ pietatis oculis noſtris, vt ſciſsâ caligine, & nubeculis effundamus perſalutares lachrymas omnem humorem noxium, & lumen gratiarum tuarum capiamus. Contere laqueum venatoris Diaboli, deijce potenti dextera tua graue jugum peccati: fac vt à timore tuo nouum concipiamus ſpiritum humilitatis, dilectionis, conſtantis propoſiti in quærenda & perficienda ſanctificatione noſtra iuxta beneplacitum tuum. Audi vocem & gemitum columbæ tuæ, ſponſæ tuæ, Eccleſiæ tuæ pro nobis deprecantis, & mentes noſtras illuſtra lumine claritatis tuæ, vt videre poſſimus quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt agere valeamus, per eum in quo, per quem tibi placuimus Chriſtum Dominum. Cui tecũ & cum S. Spiritu trino & vni Deo ſit honor & gloria in ſæcula ſeculorum. Amen.